

Symma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Succincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Agens De Rebvs Ecclesiæ Sacris, & profanis, earumque usu, acquisitione,
conservatione, & alienatione

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 2. De sponsione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61834](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61834)

mutuator pecuniam dedit , ad instantiam mutuarii, subierit periculum pecuniae sic mutuatæ; tunc ratione assecurationis istius periculi pretio æstimabilis poterit licet & absque usura petere & accipere aliquid ultrà sortem. *Salas de Cambiis Dub. 8. Binsfeld. in c. Naviganti. de Vsur. quest. 1.*

VI. Contractum hunc fraudibus obnoxium esse in utraque parte manifestum est , ut meritò de illis excludendis *Soto moneat l. 6. q. 7.* licet melius faceret eas indicando. Sunt autem à parte assecurantis duæ, quarum prima est, si promittat assecurationem , nec habeat sufficientia bona , ex quibus damnum, & jaeturam mercium compenset. Secunda, si pro illis rebus spondeat, quas certò novit extra omne periculum esse. Totidem modis fraudem facere potest, qui assecrandus est. Primò si rem suam periisse certò noverit , & tamen cum alio pacifcatur, ut illam assecuret. Secundò si loco eius rei, quæ assecurata est, aliam substituat minoris valoris , vel etiam nullam. Sic enim propter materiæ & voluntatis defectum invalidus contractus redditur. Nam absque consensu voluntatis, & re substrata pactum fieri impossibile est, ut ex Titulo 7. §. 1. constat. *Soto Garzia & Azor loco cit. Dub. 9 Lefsius loco cit. num. 24. & sequ.*

VII. Obligatio assecuratoris est, ut si merces pro quibus assecurationem promisit, ex toto aut parte intereant, illarum æstimationem præstet. Dico æstimationem , quia non tenetur ad totum valorem mercium, sed quanti æstimatae fuerint , vel lege & consuetudine aliqua, vel particularibus pañis v. gr. trium, qua-

tuor, aut quinque pro quolibet centenario. E contra assecuratus tenetur ad solvendum premium assecurationis, de quo convenerat: præterea compensare damnationem, quæ assecuator patitur in mercium interitu , cum nulla ipsius culpa intercedit. Poterit autem si quid ex naufragio, vel direptione superest, illi relinquere vel alio modo satisfacere prudentum viro. rum arbitrio. *Fill ut tract. 37. c. 1. num. 14. Silvest. V. Negotium quæst. 4.*

VIII. Huc pertinet Contractus in Hispania consuetus & frequens. Cum bona magni pretij sub hasta vænum expnuntur, promitti solet certa pecunia illi, qui premium auxerit: hic pro illo preio auget rerum venalium premium intra justi valoris terminos, quantum potest, & assecurat venditorem , quod deficiensibus aliis ipse emere velit. Non esse iustam hanc conventionem ex proportione, quam cum Contractu assecurationis habet, cognosci potest: quia periculum, quod in se suscipit assecuator preio æstimabile est, & supponimus iustitiae leges manere integras: quamvis evenire queat, ut bona exposita summo preio accipere cogatur, qui ad id fidem suam obligavit. *Azor loco cit. c. 21. Dub. 3. Catt. Lugo loco cit. num. 103.*

§. II.

De Sponsione.

I. **S**ponsio est Contractus, in quo duo de veritate vel eventu alicujus rei litigantes, sibi invicem spöndent aliquid, ut illud fiat, qui veritatem attigerit. *Lugo Disp. 31. Sect. 6. num. 73.* Duo igitur in hoc contractu

tractu concurrunt, primum est rei in- certe indagatio cum præsumptione ve- ritatem assequendi. Secundum, ex ea præ- sumptione est promissio præmii respe- cti adversæ partis, cùm obtainuerit vi- toriam, cui à parte dantis responder pœna, dum se privat eo commodo, quod frustra sperabat. Est autem promissio non semper æqualis, sed aliquando utriusque par, aliquando major unius, quam alterius. Sæpè etiam toto genere differt, ut si unus pecuniam, alius arma promittat. Sponsones quoque concipi possunt circa futurum, præsens & præteritum. Circa futurum, ut, quod Chri- stiani contra Turcas victoriam obtentu- ri sint. Circa præsens, ut Summum Pon- tificem adhuc vivere. Circa præteritum, ut classem ex Indiâ feliciter appulisse. In his omnibus cùm incertudo sit, & cui- que liceat ex suis indicis conjecturam sumere, de veritate illius certare, & pro- mittere potest alteri, si vixus ab illo fuerit, præmium, cum reciprocâ obligatio ne exhibendi. *Silv. V. Negotium Sanchez I. Consil. c. 8. D. 32.*

II. Eum, qui probabiliter scit, suam opinionem veram esse, & adversarium decipi, cum eo non posse sponsonem fa- cere aliqui existimant, propter defectum æqualitatis, quæ utrimque requiritur. *Molin. Disp. 508. Garz. c. 41. Navarr. c. 20. mmm. 18.* Aliis non videtur illicita sponsio, & lucrum inde speratum, modò certitu- dinem suam non occultet adversario. Nam si ea cognita nihilominus inire pa- stum velit, sibi damnum inde prove- niens imputet. *Azor 111. L. 11. c. 19. quest. 4. Rebello. l. 16. q. un.* De sponsione. *Cotonius in Summa Diana V. Restituere num. 40. Idem*

juris est, si qui certò sciebat, postea du- bitare incipiat. Exponit enim se aliquid periculo amittendi, quamvis ab meram pertinaciam alter amittat.

III. Quæ sponsones conditionem il- licitam habent, jam pridem legibus et- jam civilibus reprobatae sunt. V.g. si duo concertent, uter alterum vincat edendo, vel bibendo. *I. 3. ff. de aleæ lusu, & aleatorib. l. xi. ff. it. 5. Tholof. l. 23 c. 3. num. 6. Beneven. Straccha tract. de spons. part. 3.* Lucrum ta- men ex ejusmodi sponsonibus acquisi- tum retineri à Victore potest, si absque dolo, & fraude spopondit. Quamvis e- nimir contraheantes male agant, non pec- cant tamen contra iustitiam, nec debito restituendi onerantur. Neque leges, quæ ejusmodi contractus damnant, ad resti- tuendum lucrum condemnant. *Azor loco cit. Dub. 6.* Hinc deducitur, si inter Ti- tium, & Cajum sponsonem facta de cur- su, vel saltu, ut victori præmium cedat, Cajus currere, aut saltare nolit, ad præ- standum Titio præmium teneri, eò quod per eum non stat, quod minus sponsio ad- impleatur. *Straccha de sponsionib. ci. fin.* ubi aliud exemplum cum faceta conjunctum proponit. §. *Elegantem.*

IV. Mortuo Pontifice, & instituta de Successore per Cardinales electione sponsones fiunt pro cuiusque voto, & judicio, sintne illicitæ, dubitatur? Non videntur illicitæ, si rem ipsam sp. ctes, quis eventus dubius est, & quemadmo- dum suppono, in aliis æqualitas. Verum prohibitas esse jure Ecclesiastico docet. *Bulla Pii IV. de reformat. conclave luper elec. Romani Pontif. quæ incipit. In eli- gendis Ecclesiarum Pralatis.* quam prohi- bitionem tamen non nisi in Urbe locum habere

§. II. DE SPONSIONE.

¶

habere Azor c. 20. notat, cum dicatur, contra facientes subjici arbitrio gubernatoris, & arbitrio futuri Pontificis, ut puniantur. *Craftens. in l. à Titio ff. de verb. oblig. Stracch. cit. part. 4. Verum Gregoris XIV. Constitutio*, quam refert Stephanus Quaranta V. Elecio. Complectens, & prohibens sponsiones super vita, vel morte Pontificis, vel electione futura etiam extra tempus Sedis vacantis universalis est. Irrita sunt igitur omnes ejusmodi sponsiones, & qui eas faciunt excommunicationem incurunt. *Summo Pontifici reservatam*: illis puta in provinciis, & dicecibus ubi promulgatae, & receptae sunt. *Fili. tract. 37. c. 3. num. 30.* Idem ferè de sponsionibus super dubia Cardinalium electione dicendum, quoniam eadem in Constitut. à Gregorio Pontifice vetantur. *Lugo D. 31. Seff. 6. num. 90.*

V. In Francia, & Flandria celebrari sponsionem ferunt hoc ferè modo. *Titius à Cajo* 100. aureos accipit, ea conditione, ut ducentes reddere teneatur, si post biennium lustrata Italia, & Roma incolumis redierit, vel uxorem acceperit. Nihil in eo contractu latere iniquitatis videatur, quia eventus dubius est, & uterque periculo amittendi fese exponit. Nam si Titius non redierit quod contingens est Caius amittit centum: si autem redierit Titius, ducentos ipse amittet, secundum conventionem. *Azor & Tholos. loc. cit. de aliis similibus V. apud Angel. V. Vjura. §. I. n. 42. Silv. eod. q. 36. Rosellam num. 39. ci. fin.*

VI. Actio ex hoc contractu, cum honestam causam habet, oritur præscriptio verbis: cum verò turpem, conditionis sine causa, quia refert speciem in nominati

contractus. *Facio, ut des: Vel Do, ut facias;* cum neque depositum propriè, neque lequestrum sit. *Godd. in l. Spōsione nu. 14. ff. de verb. oblig. Vlpian. in l. si gratuitam ff. de prescripc. verbis Oldendorp. Classe 4. act. 40.*

§. III.

De Sortibus.

I. *S*ortem vocamus actionem ab homine suscepitam, ut ex illius eventu occultum aliquid innotescat. *S. Tho. opus. de sortibus & 22. q. 95. art. ult. quem summistæ sequuntur.* Alia est consultoria, alia divinatoria, alia divisoria. De primis duabus in explicatione primi præcepti Decalogi Morales agere solent. Tertia species hoc pertinet, & definitur *Contra-Elue*, quo de re communi paciscuntur aliqui sorte exploretur, cuius esse debeat, quemadmodum milites circa Christi tunicam scrierunt. *Ioan. 19. v. 24.* Aliter quoq; defini-ri potest, nimurum, ut sit *Contractus*, quo mittuntur sortes, ut pōsto ex ētū quavis casuali voluntas contrahentium conditionata in absolutam transcat, & res illi tribuatur, cui sors annuit. *Angel. V. fin. num. 1. Silv. V. superstitio num. 9. Armilla. 1. Sanchez. l. 2. Moral. c. 38. n. 56.*

II. Contractus sortis divisoriorum persa non est illicitus, imò sublati fraudibus non raro utilis, & necessarius. Quod lapiens indicat *Prov. 18. v. 18.* Contradictores comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat. Nec detunt Auctores, qui existimunt, Apostolos orbem terrarum pro Evangelii prædicatione mittendo sortem divisoriss, uti refert *Francisc. Turrianus* l. 8. *Const. Apost. c. 5.* quin etiam *S. August. epist. 180. ad Honoratum tempore pestis sorte dirimentum esse scribit,* quis